

IN LVCTV PVBLICO  
 EX  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
 PRINCIPIS ET DOMINI  
**FRIDERICI AVGVSTI,**  
 POLONIARVM REGIS  
 ET  
 ELECTORIS SAXONIAE  
 etc. etc. etc.  
 DOMINI ET ALTORIS SVI  
 QVONDAM CLEMENTISSIMI  
 OBITU  
 SVAM PIETATEM  
 TESTATAE SVNT  
 MVSAE PORTENSES  
 INTERPRETE  
 M. IOANNE FRIEDLIEB. STVBELIO.

---

NVMBV RGI,  
 LITTERIS BOSSOEGELIANIS.



HORAT. l. i. epist. VII. v. 37.

*Rexque paterque*

*Audisti coram, nec verbo parcius absens.*



VGUSTVS, ingens Gloria Principum,  
Commune funus plangitur: omnibus  
Lugendus in terris putatur  
Orbis Amor, Decus et Voluptas.  
Non solus Albis fletibus intumet,  
Non Duna adauctas atque Borysthenes  
Tantum suas mirantur undas,  
Inque salum lacrimas volutant:  
Luctus habentur signa grauiissimi,  
Qua Rhenus, Ister, flumina maxima,  
Stringunt tot vrbes, qua Visurgis,  
Qua Viadrus trahitur per arua:  
Quin et doloris conscia, quae iacent  
Sub non eodem fidere, littora,  
Ceu Saxonum cum gente pacto  
Foedere, consociant querelas.  
Vel barbararum pectora gentium  
Hunc, ante tempus dum properat mori,  
Tanquam suum Regem, requirunt,  
Fataque praecipitata plorant.  
Ergo querelis quis fuerit modus  
Obnoxiorum sanguine ciuium,  
Quos vulnus ipsos tangit ingens,  
Queis proprius fuit ille Princeps.  
Iactura tanti Regis et Arbitri,  
Quo digniorem secula proxima  
Nullum tulere, nec remota,  
Non lacrimis fatis explicatur.

Hinc, dum nouo Rex lumine fidera  
Infertus astris alta perambulat,  
    Ciues relictū illum repofcunt  
    Cum gemitu, quatiuntque coelum  
Hac voce: noſtrum reddite, reddite,  
Cur inuidetis? Sidera, Principem!  
    Hic noſter eſto! Veſter arcus,  
    Ignibus innumeris refulget.  
Sed furda votum fidera reſpuunt,  
Rex ipſe noſtros non amat amplius  
    Audire queſtus, vt ſolebat,  
    Sceptra ſuper trabeasque vectus.  
Triftem repulſam mox lacrimabilis  
Clamor per vrbes excipit, omnia  
    Squalore ſummo conſeſcunt  
    Saxonicis Lechicisque terris.  
Haec omnium vox gutture promitur:  
AVGVSTVS et Rex et Pater occidit:  
    At plus Pater, quam Rex vocari  
    Is meritus, meritusque iure.  
Sic orba plorat patria Principem,  
Sic orba Patrem plorat amabilem,  
    Sic Regis, vt Patris, parentat:  
    Funeribus lacrimans Polonus.  
Lugent ademtum, NATVS ADORAE  
HAERES PATERNAE, SPLENDIDVS AEMVLVS,  
    Aulaeque Patres, Curiaeque,  
    Templa, Scholae, Populusque Patrem.  
Vt nullus Ordo fletibus abſtinet,  
Vt ſexus omnis dat querimonias,  
    Sic omnis aetas lacrimatur,  
    Inferias meditantur omnes.

Cunctis, fatemur, flebilis occidit  
AVGVSTVS: vni flebilior tamen  
Portae occidit: fletur Camoenis  
Rex, Dominus, Pater ac Apollo.  
Et sic Voluptas Pieridum perit,  
Sic luget Haemus praesidium suum,  
Sic sacra Musarum fatiscunt  
Culmina Palladiique postes.  
O triste fatum! Quot rogos vnicus  
Voluit ruinas! Rebus in asperis  
Et luctuosis quae medela?  
Quis Pater est miseris Camoenis?  
At salua res est, plaudite Saxones!  
Tristes Camoenae parcite lacrimis!  
AVGVSTVS in NATO reuixit;  
Hic Dominus, Pater ac Apollo.  
O magna magni Progenies Patris,  
Musas sereno respice lumine,  
Adsuesce nobis nunc vocari  
Propitius Pater ac Apollo.  
Vera Parentem fistis imagine:  
Exscribe totum mox meritis PATREM,  
Totum refer felicitate,  
Quin supera bonitate et annis!  
Dixere Musae: currite candidis  
Horae quadrigis! protinus aurei  
Coepere menses, et recusa  
Secula de solido metallo.



78 M 496

ULB Halle 3  
001 618 148



TA-506  
KOP  
B7






IN LVCTV PVBLICO  
 EX  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
 PRINCIPIS ET DOMINI  
 FRIDERICI AVGVSTI,  
 POLONIARVM REGIS

ET  
 RIS SAXONIAE  
 etc. etc. etc.  
 ET ALTORIS SVI  
 AM CLEMENTISSIMI  
 OBITV  
 M PIETATEM  
 ESTATAE SVNT  
 E PORTENSES  
 INTERPRETE  
 FRIEDLIEB. STVBELIO.

NVMBV RGI,  
 RIS BOSSOEGELIANIS.



131

